ORATIS DE SCEPTICISMO: HODIERNIS THEOLOGIS CAUTE VITANDO

Johannes Jacobus van Oosterzee


Digitized by Google

Digitized by Google

En souvenir amical de Z. M. v. Kuij
1865

ORATIO

DE

SCEPTICISMO, HODIERNIS THEOLOGIS CAUTE VITANDO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO

DE

SCEPTICISMO, HODIERNIS THEOLOGIS CAUTE VITANDO,

QUAM HABUIT

JOHANNES JACOBUS VAN OOSTERZEE,

THEOLOGIAE DOCTOR,

A. D. XXX JANUARII, A. MDCCCLXIII,

QUUM IN

ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

THEOLOGIAE PROFESSIONEM ORDINARIAM

SOLEMNI RITU AUSPICARETUR.



ROTERODAMI,

APUD VERBRUGGEN ET VAN DUYM, BIBLIOP.

MDCCCLXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE CURATORES, VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI!

QUI HIS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

ACADEMIAE RECTOR MAGNIFICE!

DOCTRINARUM ET ARTIUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, LECTORES DOCTISSIMI!

QUI IN HAC PROVINCIÂ ET URBE POTESTATE ET AUCTORITATE ESTIS CONSPICUI, VIRI GRAVISSIMI!

SACRORUM ANTISTITES, VIRI PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM ATQUE DISCIPLINARUM DOCTORES, VIRI CONSULTISSIMI, DOCTISSIMI!

HUJUS ACADEMIAE ALUMNI, COMMILITONES EXOPTATISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS CUJUSCUMQUE LOCI, ORDINIS AUT DIGNITATIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Quam discipulis aliquando optimus Magister commendavit, accurata temporis signorum observatio [1]), nemini certe magis convenit atque conducit, quam Theologo, munus Academicum solemni ritu auspi-

[1]) Matth. XVI : 3.

Digitized by Google

caturo. Quis nauta tutum portum relinquet, quum undique procellas imminentes mareque turbido aquilone conquassatum jam videt! Quisnam agricola tam plane rusticus erit, ut ad aratrum manum immittat, quando omnia in aëre atque terris praesagia inceptum dissuadere videntur! Mihi vero quum non amplius liceat haesitantem pedem referre, num miramini, Auditores, me non sine magnâ trepidatione in cathedram hanc adscendisse, imo me nunquam animo magis commoto publice verba fecisse? Verum enim vero, aut ego ineptus sim, aut si meâ jam vice oculos ad temporum signa converto, undique voces mihi audire videor infausta ominantium, et cum Jesu aequalibus repetentium: hodie tempestas, rubente tristissimo coelo! Profecto, quod ante hos viginti sex annos ex ipsissimis hisce studiosorum subselliïs, clarissimum Vinke in Orationis Inauguralis introïtu dicentem audivi: "escendi igitur equidem in cathedram hancce, at quonam sim animo, non est quod dicam, nam vultus et vox et artuum tremor me produnt," hoc ipsum de me, praeclari viri discipulo, affirmare non vereor, quippe qui, minoribus viribus praeditus, gravius etiam onus humeris impositum videam. Quod si *gravius* dixerim, Auditores,

Digitized by Google

vos non magnopere a me dissensuros esse, confido et spero. Etenim, non tantum mihi dicendum est coram Auditorum coronâ, quâ nunquam adhuc allocutus sum illustriorem; non tantum verba mihi sermone facienda sunt, non quidem obsoleto, at tamen insueto; non tantum munus mihi est suscipiendum, quo gravius nullum profecto novi; non tantum denique nova vitae periodus incipienda, postquam per quatuor et quod excurrit lustra in sacro Ecclesiae ministerio omnes animi corporisque vires intendi, novumque iter inchoandum est mihi, haud adeo longe ab illâ aetate remoto, quâ alii de velis contrahendis cogitare incipiunt: sed, quod fortasse omnes has difficultates superare censendum est, gravissimum aggredior munus in rerum atque temporum statu, quo haud scio an unquam difficilior Ecclesiae atque disciplinae Theologicae exstiterit. Quod ne ita accipiatis velim, ac si inter istos temporis acti laudatores sim recensendus, qui nova quaepiam, quippe nova, repudiant, antiqua vero, quia antiqua, omnibus viribus totoque corde defendunt. Quod verum et decens, id unice curo et rogo, et totus in hoc, si nondum sum, saltem in dies magis esse studeo. Quae nostra aetas Theologiae meliora adduxit, nequaquam con-

Digitized by Google

temno, laudo potius, eaque semper augèri atque multiplicari quam vehementissime cupio. Idem vero nullus dubito, cum dilectissimo praeceptore BOUMANNO conqueri: "vide quam difficile atque arduum Theo-"logo sit ipsum *biforme* hoc saeculum; quo uno non "multum abest, quin duo diversa saecula, secum "invicem concertantia, contineri videantur." [1]) Nemo saltem, opinor, hac nostrâ aetate in celeberrimi WERENFELSII sententiam discessurus est, Ecclesiae ministri munus multo difficilius dicentis, quam Universitatis doctoris, ita ut, qui ad hoc ab illo vocaretur, gravissimum onus pro leviore mutaret. Quid enim vobis diffitear, quod et meum et omnium Ecclesiae amicorum animum oppressum diu jam tenuit, atque ipsis lippis et tonsoribus notum est? Non tantum *opinionum* dissensio, sed et *principiorum* discidium inter Theologos hodiernos hujusmodi est, ut de pace feliciter restituendâ vix ulla remaneat spes. Auctoritatis divinae et libertatis humanae patroni, sibi oppositi, quam acerrime suam quique causam contendere pergunt, et vix ullam quaestionem Theologicam movere poteris, quin, omnium sententiïs auditis, collatis, per-

[1]) *Chartae Theoll.* I. p. 6.

Digitized by Google

pensis, mox majore difficultate quam antea illa premi videatur. Quid mirum ergo, si Theologiae professor futurus, cujus cogitandi ratio amicis atque adversariis haud plane abscondita mansit, undique interpellari se audiat sentiatve: quisnam tu es, qui haud reformidasti, Doctoris Theologiae, idque quidem Theologiae Dogmaticae partes suscipere in hac temporum calamitate? Nonne scis, Dogmaticam nostro maxime aevo disciplinam esse tam problematicam, ut theologos vix invenias duos, de uno dogmate revera idem sentientes? Nonne vides, te architecto haud dissimilem esse, templum aedificare cupienti, cui vero ne locus quidem vacat, ubi fundamenta jacere possit? Num tu igitur nobis oraculum, diu desideratum, apportas, quo litigantibus pax, dubie haerentibus certitudo tranquillitasque reddetur? Et si hoc affirmare non audes, quid tibi de novo munere exspectandum, nisi tristissima sors illius imprudentissimi viri, quem parabola nobis depinxit, quemque mox spectatores illudent, dicentes: "quia hic homo coepit aedificare, consummare autem non potuit!"

Audivi, Auditores, et vos audivistis, me incepti difficultates nequaquam parvi duxisse. Tales fuerunt et sunt, ut, nisi probe scirem in Quem fiduciam animi

Digitized by Google

etiamnunc tuto reponere possim, me tantae audaciae poeniteret hac ipsissimâ horâ, quâ cum Apostolorum principe repeto: ἀνάγκη γάρ μοι ἐπίκειται. Quanto levius pensum nostrum esset futurum, si cum clarissimo Decessore in orationis Introïtu hanc nostri temporis felicitatem extollere possem, quâ — quod acutissimo SCHRÖDERO acceptum referebat — "*Scepticismus, Idealismus, Materialismus*, perpetui illi Theologiae hostes, uno ictu nunc profligati erant." [1]) Sed quam longe ab illâ historiae nostrae periodo jam remoti simus, ne unus quidem Vestrum ignorat. Haud aliter quam Gigantes, in terram prostrati, ex hoc ipso terrae contactu novas corporis vires recolligunt atque ad nova certamina surgunt, ita quos VINKIUS nuncupat hostes etiam nunc superstites atque Theologiae vere christianae semper infestos videmus. Vix operae pretium addere, me nequaquam de *hominibus* agere, omni justo honore dignissimis, sed de *principiis*, principio Theologiae dogmaticae plane oppositis. Dicta autem principia, et alibi et etiam in hacce patriâ nostrâ, hisce temporibus semper plures invenisse patronos atque propugnatores, nemo certe infitias ibit. Quod, ut de uno dumtaxat

[1]) VINKE, *Orat. Inaugur. de Germano Philosopho, optimo Theologo*, Traj. 1837, p. 16, 17.

Digitized by Google

loquamur, speciatim de *Scepticismo* monendum, in dies majore semper vi inter Theologos et Ecclesiae membra grassante. Nunquam, mihi si creditis, nostrae aetati de Theologiâ, imprimis Dogmaticâ, meliora sperare licebit, nisi effrenatum hunc multorum dubitandi pruritum, aptis medicamentis adhibitis, tandem videamus sanatum. Sed ita rem considerantibus, ipsi sentitis, dicendi argumentum nobis non adeo eligendum, quam quidem datum fuisse ab ipso saeculi nostri ingenio atque Evangelicae Ecclesiae statu, nisi saltem hoc praetulerimus, de rebus disserere, quae critico hoc temporis puncto nullius fere animum movent. Nil scilicet desperandum habemus Christo duce et auspice Christo, sed hac unâ conditione bene sperandum de disciplinâ Theologicâ nostrâ, si ipsa fides, Deo Christoque habita, viva atque inconcussa remaneat. "*Haec nobis arx invicta erit*," ita cum CALVINO gloriari nos licet, "*quod Domino stamus.*" Domino autem stare non possumus, nisi Ipsius personae, historiae, promissis firmiter nos teneamus adstrictos. Dicam igitur:

DE SCEPTICISMO, HODIERNIS THEOLOGIS CAUTE VITANDO.

Argumentum, ab unâ parte quidem tam late patens, ut pluribus vix voluminibus penitus exponi possit;

Digitized by Google

ab alterâ tamen adeo concinnum, simulque ita tempori conveniens et cum munere nostro conjunctissimum, ut vix aliud inveniam, attentione vestrâ magis dignum. Hanc mihi ergo concedite veniam, ut simpliciter et candide vobis mentem exponam, datâque operâ indicem, *tum* quamnam ob causam, *tum* quonam potissimum modo Scepticismi scopulus hac nostrâ aetate mihi maxime evitandus videatur. Quâ in re ut rite procedamus, verbo moneamus de Scepticismi in rebus theologicis *charactere*, *origine*, *jure*, *fructu*, *medelâ*. Ut autem quinque has argumenti partes indicanti magis quam exponenti faciles mihi aures praebeatis animosque ab omnibus praejudicatis opinionibus vacuos, vos, Auditores Humanissimi, etiam atque etiam rogo.

I. Cum nullo alio benificio, quo divina Sapientia atque Bonitas genus nostrum, peccato miserrimum, beare voluit, aequiparari potest Patefactio illa veritatis atque gratiae, in Jesu Christo, Dei filio atque hominum Sospitatore, atque per Eum nobis totique mundo concessa. Quam patefactionem, quamvis multa conti-

Digitized by Google

neat, imbecillitatem nostram aut partim aut penitus superantia, tamen objective veram esse, perfectam, aeternam, haud sine gravissimis causis, teste historiâ totius Ecclesiae, semper crediderunt atque defenderunt quicumque Theologi Christiani dici voluerunt. Qui vero revera hoc tenent, non poterunt non Scepticismi nomine indicare opinionem illorum, qui talem veritatem, divinitus patefactam revera potuisse existere, aut saltem eam a nobis certo satis modo cognosci posse in dubium vocant. Unde sequitur, Scepticismi nomine, sive latiore sivi strictiore sensu, designari sententiam, quâcumque tandem prodeat formâ, quâ patefactionis Christianae indoles divina atque objective vera aut prorsus tollitur, aut saltem ita proponitur, ut omnis veritas religiosa *mere subjectiva* habeatur adeoque satis incerta. Videtis, me nunc non in genere de Scepticismo acturum esse, qualis e philosophorum scholis prodiit, aliorum opiniones negantium, sed unice scepticam spectare *de veritate Christianâ* cogitandi loquendique rationem. Quid coram vobis, Auditores Doctissimi, de Pyrrhone et Arcesilâ, de Carneade, de Sexto Empirico aliïsque bene multis dicam, semper paratis et pronis ad Dogmatismum inpugnandum, non adeo ut, quod

Digitized by Google

jam TULLIUS observavit, "quique quid *ipsi* sentirent ostenderent, sed disputarent potius contra id, quod quisque se sentire *dixisset.*" Ethnicos philosophos missos faciamus; de nobis Theologis christianis jam sermo est, qui, a nemine coacti, continuare mox volumus quod jam ante saecula inceperunt Apostoli, testimonium sc. de Vitâ atque Luce, in Christo nobis concessis; quibus adeo parum convenire videtur, de veritate religiosâ ita disputare, ac si nunquam Aliquis his in terris apparuisset, qui Ipse *Veritatem* se diceret, cujusque igitur discipuli non amplius veritatem recensendam habent inter Deos Deasve ignotos, quibus apud Athenienses altaria templaque exstructa erant. Unde jam sequitur, nobis ante omnia de indicati Scepticismi *charactere* loquendum esse, quippe haud uno nomine ab antiquiore diverso. Alia enim fuit dubitandi ratio atque methodus apud philosophos Graecos, alia apud Theologos est, qui Christo nomen dederunt. Alia, ut hoc utar, apud Franco-Gallos, haud raro frivoli ingenii motu abreptos, alia apud Germanos, serios et severiores ingenio, et abstrusiore philosophandi ratione sibi aliïsque placentes. Quodsi igitur quaerimus, quânam potissimum formâ Scepticismi Proteus se conspiciendum praebeat his nostris diebus,

Digitized by Google

est omnino, quod gaudeamus, Auditores, hanc formam pristini aevi rationi haud parum subinde praestare. Hodierna Scepsis in genere a levitate et futilitate abhorrens indolem seriam, moralem, paene dixerim religiosam commonstrat. Non adeo, si comparationem instituere licet, unicuique recentioris poëseos amico familiarissimam, non adeo GÖTHII MEPHISTOPHELEM nobis in animum revocat, qui negando iterumque negando fatale quoddam gaudium gustat, sed ipsum potius tristissimum FAUSTUM, qui cum campanas tinnire angelosque cantare audiret flebilis querebatur: "audio omnino, quae mihi nuncias, laeta, sed eheu, "quod deëst, nil est, nisi unice — fides." Sunt quidem etiamnunc superstites, qui decantatam cantilenam veterum Materialistarum et Deistarum repetunt ad nauseam usque, Auroram scilicet nobis promittentes, e quâ numquam sol orietur. Hos autem si facile indoctae plebi relinquimus, ad melioris notae homines oculos jam convertentes, nullo modo dubitari posse videtur, *cum* objectiones nostri aevi contra Evangelium Christi longe graviores atque doctiores esse, quam antea; *tum* haud raro easdem conjungi cum practicâ quadam religiositate, quâ fit ut serium illud: *μετανοεῖτε* saepius etiam audiatis ab ipsissimis illis, qui

Digitized by Google

ceterum miracula omnia rejiciunt, tanquam plane absurda. Nec mirum. Nostrates praesertim indole moderatiores sunt, temperatiores, et ab omnibus Extremis ita aversi, ut potius in dubitando etiam sibi non plane constare videantur, quam omnem modum excedere. Quod tamen non impedit quominus apud nos dubitandi campus aeque late quam alibi pateat. Phaenomena saltem et hîc et illic sibi invicem simillima sunt, et sive ad *Germaniam* atque *Helvetiam*, sive ad *Galliam*, aut adeo ad *Angliam* mentem advertas, ubivis fere easdem voces audietis, Theologiae Christianae characterem suum objectivum, sanctum, aeternum denegantium, nostramque disciplinam nil amplius esse contendentium, quam lusum sempiternum atque futilem opinionum mere subjectivarum, omni firmo fundamento plane carentium. Fundamento autem superstruitur hic Scepticismus, partim speculativo-philosopho, partim historico-critico. Nomine Philosophiae speculativae omnis notio de Deo ejusque ad mundum relatione repellitur, quae cum placito de Dei *Immanentiâ*, q. d. *absolutâ* non plane convenire videtur, atque omnia, quae ab ordinario naturae cursu deflectunt, *a priori* inter fabulas recensentur, mulierculis tantum



Digitized by Google

atque imberbibus pueris congruas. Nomine Critices Altioris libri sancti maximâ ex parte spuriï judicantur, fideque minime digni. Hoc igitur consortio nixa, jam in Ecclesiâ Christianâ prodiït scepticorum sententia, eaque hoc modo exculta, ut ejus fautores mox ipsi *Dogmatismo*, q. d. *negativo* addicti appareant, neque hoc ipso contenti, quod sese dogmatibus omnibus firmiter opponant, unum saltem dogma propugnent, hoc nimirum, omnia quae naturam nobis cognitam superant vel absurda esse, vel saltem plane incerta. Quae cogitandi ratio dici vix potest, A. A., quam multos asseclas recentiori tempore assecuta sit et etiamnunc assequi pergat. Non adeo hoc illudve doctrinae Christianae caput in dubium vocatur, quam quidem id, quod hucusque ab universâ Ecclesiâ inter axiomata fere recensebatur; non amplius de fidei Formulis atque Confessionibus unius alteriusve societatis Christianae quaestio est, sed de argumento Evangeliï ipso; non tantum centenis effatis Jesu Apostolorumque interrogandi signum apponitur, verum de ipso Christo, objecto fidei, quaeritur: τί ἔστιν ἀλήθεια? Tales progressus tristissimus hic morbus jam fecit, ut ubique numerus creverit eorum, qui navium ad instar, de quibus NASO cecinit,

Digitized by Google

justo sine pondere labant,
Perque mare instabiles nimiâ levitate feruntur [1]).

Quis, ut praesentia praeteritis conferam, quis inter seniores non saepius recordatus est temporis, quo primum STRAUSSII nomen resonabat per totam Ecclesiam, cujus imagini TER-HAARIUS noster carmen supposuit, auro gemmisque pretiosius? Tunc temporis etiam haud pauci exstabant Theologi, a liberrimâ cogitandi ratione laudem sectantes; nullus autem eorum dubius haerebat, quin Mythicae interpretationis propugnatorem inter acerbissimos referret Christi atque Ecclesiae hostes. Nunc vero, vix ullo refragante, Theologum Evangelicum [2]) asseverare audimus, STRAUSSIO, si semel visitare vellet patriam nostram, forte plus molestiae oriturum esse ex amicorum, quam ex inimicorum vix numerando congressu. Etiam antea fuerunt, non nescio, qui in quaestionibus theologicis et religiosis dubii atque incerti haererent; tunc temporis autem sceptici vulgo vitae tabernaculum collocare solebant extra Ecclesiam ipsam, et quae a Naturalistis rejiciebatur veritas Biblica, a Theologis defendi solebat, tanquam sacrosanctum fidei salutaris

[1]) *Metamorph.* Libr. II.

[2]) A. D. LOMAN, *in opere periodico: de Gids* 1861, p. 460.

Digitized by Google

pignus. Nunc vero haud raro theologos invenimus, negando longe ulterius procedentes, quam naturae investigatores, imo subinde Ecclesiae socios audimus, Evangelicam traditionem indefesso ardore defendentes contra Verbi Divini ministros, publice eandem negantes. Num igitur jam properamus ad tempora illa, de quibus idem ille STRAUSSIUS vaticinatus est ante aliquot annos, tempora scilicet, quibus non e scholis Theologorum, verum e sutorum sartorumque officinis Ecclesiae antistites proventuri sint optimi? Exempla saltem non desunt, quod jam, ex ejusdem vatis effato, nonnullis sanctissima haec nostra Theologia quasi Sphinx videatur immanis, hoc uno nomine ab antiquâ Sphinge diversa, quod non eos devorat, qui aenigmata solvere nequeunt, sed illos contra, qui ea probe perspiciunt [1]). Minime negabo, disciplinam theogicam maximos fecisse progressus, multasque quaestiones, antea vel non vel obiter tantum tractatas, tempore nostro ita exploratas esse, ut nova lux jam exorta sit et deinceps exoritura. Ut vero dicam quod sentio, *fidei* progressus mihi longe minores apparent, quam *scientiae*, atque dolori temperare vix possum, ubi tot tantosque adspicio viros, qui confiteri haud

[1]) STRAUSS, Glaubenslehre. II. p. 626.

Digitized by Google

erubescant, cor sibi christianum, intelligentiam vero ethnicam esse, hac in re JACOBIO, Philosopho Germano, haud inaequales querenti, se quasi perpetuo fluctibus diversis jactari, quorum aliis sursum ferretur, aliis vero deorsum. Quid mirum, quum quamplurimi non tantum de iis haereant incerti, quae ad religionem *Christianam*, sed de iis quoque, quae ad omnem veri nominis *religionem* hucusque referri solerent. *Religio* enim si cogitari nequit, ubi Dei existentiam *personalem*, i. e. sibi consciam atque liberam, sublatam videmus, ipsa Religio imminuatur necesse est, ubi Pantheïsmi regnum incepit. A Pantheïsmo autem quam parum adhuc remoti sint illi, qui vires naturae insitas non amplius a Dei voluntate distinguunt, aliis dijudicandum relinquo. Mihi quidem si creditis, talis profecto pantheïstica Creatoris et Creaturae fusio haud minus est deploranda, quum libertatis moralis atque immortalitatis animi denegatio, sive dissimulata sive directa, quae iterum aliis Theologis placet. Estne Deus, personalis, sibi conscius, libere agens; estne animus humanus, a materiâ vere distinctus, libertate praeditus, nunquam moriturus? His aliisque quaestionibus haud pauci, atque inter eos honoratissimi disciplinae nostrae cultores ita respondent,

Digitized by Google

ut facilius quid sibi *non* videatur, quam quid *ipsi* sentiant, inde efficere possis. Crisi, eidemque subtilissimae, subjiciunt omnia, quae aliï ponant vel negent; quid autem ipsi velint, nobis satis incertum relinquunt. Immemores prorsus praeclari dicti Lutheri: "Spiritum Sanctum nequaquam scepticum esse," omnem fere persuasionem dogmaticam, quam apud alios vident, contemnunt, tanquam mere subjectivam atque aprioristicam illam. STRAUSSIO quondam vitae post mortem futurae spes ultimus visus est hostis, quem Theologia impugnare debebat [1]). Ejus cognatis atque sociis vero omne illud, ut verbo dicam, quod Supra naturam esse apparet [2]), ultimus jam inimicus est, quem non tantum licet, imo vero oportet oppugnare, nullis non adhibitis telis. Profecto, si jam antea haud paucos conquerentes audiverimus, Hannibalem apparuisse ante portas Ecclesiae Christi, ego sane non magnopere mirer, si jam plures de ipsis portis atque moeniis conquassatis, multo validius clamare incipiant!

II. Nobis vero, qui expositam rerum conditionem hîc neque ridere, neque lugere, at potius *intelligere* volumus, sponte sese jam alia quaestio offert. Unde-

[1]) L. l. II. p. 739. [2]) Gallice: *le Surnaturel.*

Digitized by Google

nam descripta atque tam late sparsa cogitandi ratio *originem* repetit, quibusque causis jam eo pervenimus, ut haud paucis, de omni veritate q. d. *objectivâ* plane desperantibus, Socratica confessio, se nil quidquam *scire*, non tantum summa videatur sapientia, sed etiam unica scientia? Ad quam quaestionem quid respondeamus, non adeo alte petendum. Non mediocriter errare mihi videntur, qui statuunt, Scepticismum ex ipsius Protestantismi principiis oriri *debuisse*, quippe quae uniuscujusque Individui rationi libertatem tam illimitatam concedant, ut mox omnem Auctoritatem rejiciat, neminique amplius credat, quam sibimet ipsi. Ex hac igitur sententiâ, a multis Theologis Romano-Catholicis propositâ, ille optimus Protestantismi assecla foret atque sibi maxime constans, qui dubitandi studio nunquam non magis indulgens, tandem ad purum Nihilismum perveniret. BRUNO BAUERUS adeo, ut de recentioribus taceam, probabilis foret Protestantismi vindex habendus, quia totam Euangelii historiam tanquam merum commentum irridet, multo melior tamen LUDOVICUS FEUERBACHIUS erit, qui omnem religionem hominis alucinationem existimat, nescio quanam fatalitate tanquam *objectivum* quid considerantis, quod nil est

Digitized by Google

nisi *subjectivum* phantasma. Sed quis tam ignarus, qui nesciat, genuinum Protestantismum omnino libertatem religiosam tueri, filiis autem suis semper obedientiam fidei inculcasse, Divino Verbo praestandam, cujus absolutam auctoritatem lubenter agnovit, Ecclesiae auctoritate rejectâ [1])? Minime ergo e Protestantismi *indole*, sed contra e Protestantismi *depravatione* theologorum Scepticismus mihi ortus cultusque videtur, ad ejusque originem explicandam non minus in censum veniunt *psychologicae* causae, quam strictiore sensu *historicae*. Ad priores quod attinet, nemo est quin perspiciat, *fidei*, quae in re religiosâ a nobis exigitur, hujusmodi indolem esse, ut omnino ad persuasionem *moralem* q. d. de rebus Divinis pervenire possimus, nunquam vero ad *mathematicam* evidentiam talem, qualem haud injuriâ assequi studemus in re, sub sensus cadente. Nonne fidei objectum spirituale atque invisibile est, homo autem sensibus adstrictus mundoque materiali ligatus? Nonne patefactio extraordinaria de salute, homini peccatori per Christum recuperandâ, eo facilius dubia excitatura est, quo magis huic patefactioni insunt haud pauca, quae intelligentiam superant cordique

[1]) Cf. AUBERLIN, *die Göttl. Offenb.* Basil. 1861. p. 165.

Digitized by Google

superbo repugnant? Nonne quaevis patefactio de rebus, per se absconditis, quaestiones elicere debet, quas sponte suggerit ratio ingenii nostri; si vero hisce respondetur id, quod nobis sive jure seu injuriâ, non satisfaciat, qnid mirum, si dubitatio nascatur, dubitandique habitus ad Scepticismum conducat? Accedit, quod ex rei naturâ multo facilius est, dubitare quam credere; levius, aliorum persuasioni obstacula opponere, subinde gravissima, quam propriam ita exponere, ut legitimae oppositioni vix ullus remaneat locus. Ab imperfectis hominibus perfecta systemata theologica jure exspectari non possunt, neque unquam fortasse unum systema conditum est, quod non, veritatem ab unâ potissimum parte exponens, vel invito autore et vindice, ejusdem veritatis partem oppositam magis minusve in umbrâ relinqueret. Qui autem imperfectum tale systema condere mavult, quam nullum admittere, is longe molestius pensum sibi videbit impositum, quam qui opponendo, quaerendo, dubitando sibi aliïsque placuerit. Hoc ut agas, fortasse non adeo opus est, ut ipse philosophus sis: jam sufficere potest, Sophistarum sectae nomen dedisse. Si autem e talibus causis internis Scepticismi ortus atque progressus satis facile explicari posse

Digitized by Google

videtur, jam videatis, quot causae *historicae* nostro aevo confluxerint ad Scepticismi viam sternendam, *theologicae* nimirum, *politicae*, *philosophicae* illae. *Theologicas* dico, nam partem saltem, eamque haud exiguam, culpae imputandum censeo theologis dogmaticis ipsis. Scholasticismus enim, qui in Germaniâ praesertim brevi post Reformationis saeculum in Theologiâ exstitit, deque rebus gravissimis haud raro *a priori* tantum quid verum esset decrevit, non potuit non oppositam excitare cogitandi loquendique rationem; actio autem reäctionem pareat necesse est, Scholasticismi regno facile praeparatur oppositi Scepticismi triumphus. Utinam Theologi minus obliti fuissent praeclari illius SCALIGERI praecepti, eruditam hanc inscitiam commendantis, quâ ipsi nescire volumus, quae optimus Magister hucusque docere nos noluit! Accedit, quod praecedenti imprimis aevo haud pauci, ad intima religionis Christianae adyta non penetrantes, ejusque indolem mere historicam negligentes, Evangelium ipsum cum nescio quâ *doctrinâ* Christianâ confunderent, a Christi praeconibus saepius satis aride atque jejune expositâ, aliïsque doctrinis religiosis aperte oppositâ. Nec omittendum, fidei causam subinde modo armisque defensam fuisse, quae

Digitized by Google

facile tritum illud elicere possent: "non tali auxilio, nec defensoribus istis." Quid, quod haud defuerunt, qui cum BACONE VERULAMIO statuere saltem videbantur: "Quanto mysterium aliquod divinum magis fuerit "absonum et incredibile, tanto plus in credendo "exhibetur honoris Deo et fit victoria fidei nobilior." Hoc modo ipsi Theologi Scepticismum excitasse dicendi sunt, nam, ipsâ historiâ teste, infirmum nostrum genus nunc ab hac, nunc ab illâ parte modum excedere solet, neque diu in medio manere posse videtur, quod tenere dicuntur beati. Cum his autem Scepticismi fontibus, ut ita dicam, theologicis, jam conjunctas videmus *politicas.* Spiritum illum innuimus effrenatum, libidinosum, omni auctoritati divinae humanaeque oppositum, qui revolutiones peperit non numerandas, altaria, thronos subvertit, rationis voluntatisque humanae autonomiam proclamavit, nullis limitibus amplius circumscribendam. Humanismus Christianismo opponebatur; nomine fraternae aequalitatis omnia vincula dilacerabantur; libertatem non adeo per Christum, quam quidem extra Christum quam plurimi quaerebant; verbo, faces undique accendebantur, Sol ipse obscurabatur. Quae causae theologicae et politicae eo magis Scepticismo favere debebant,

Digitized by Google

quia intime conjunctae erant cum novâ quadam *philosophandi* ratione. Nequaquam opinemini velim, me adstipulari illis Theologis, qui, haud raro crassâ Minervâ altoque supercilio philosophiam ipsam contemnunt. "Quid non solum litterae, sed quid ipsa vita sine philosophiâ est [1])?" Diligo equidem et in sinu gestare haud desinam germanam philosophiam illam, quâ ad cognitionem earum conducimur, quae fide jam eramus amplexi: qui foedus sanctissimum hanc inter philosophiam et theologiam rumpit, utramque ad mortem condemnat. Sed optimi corruptio pessima, et si philosophia nobis placet, Reginae Theologiae non ancilla adeo, quam pulcerrima soror, eheu, et aliam novimus, quae indole suâ fidei Christianae fundamenta imminuere, Scepticismum alere debuit. Quis enim negare potest, Empirismum Lockianum, Cartesianae disciplinae oppositum, animum humanum considerasse tanquam tabulam rasam, sensatione et reflectione ad veri cognitionem perductam, et aliquatenus quidem religioni Christianae favisse, indole autem suâ viam stravisse *tum* ad BERKELEYI Idealismum, *tum* ad *Materialismum* eorum, qui *Naturae Systema* condiderunt, *tum* vero etiam ad

[1]) E. A. BORGER.

Digitized by Google

HUMII Scepticismum, nequaquam cum HUMIO ipso exstinctum? Postquam scilicet recentioris philosophiae historia satis superque docuisset, quo tandem perveniamus, si aprioristicae speculationi nos tradimus, nubem pro Junone amplexi, haud pauci datâ operâ ostensum iverunt, tales speculationes, experientiae luce destitutas, parum nihilve valere, nullamque salutem ab iis exspectandam esse, qui absque *Ἐμπειρία*, ope Logices et Dialectices tantum, ad veram rerum cognitionem adscendere vellent. Quod sapientissime mihi monuisse videntur philosophi illi, a quibus autem sanae *Empirices* praeclaris patronis, omnino distinguenda, horum principiis abutens, magna *Empiristarum* caterva. Hi scilicet parum attendentes ad certissimam regulam, secundum quam Experientia nos omnino edocere potest ea, quae sub sensus cadentia vel antea *fuerunt* vel *sunt*, nequaquam autem ea, quae sub mutatis conditionibus accidere *possunt*, hi, inquam, fidei Christianae, quatenus patefactioni supranaturali innititur, bellum jam declararunt acerbum. Eo magis eorum auctoritas apud permultos invaluit in hoc saeculo, Auctoritati ceteroquin haud nimis favente, quia opinionem exponebant illi popularibus atque pulcerrimis formis, ad eorum

Digitized by Google

etiam captum accomodatis, qui ceteroquin non magnopere initiati erant philosophiae, q. d. mysteriis magnis. Quod autem his Empiristis axiomatis ad instar invaluit placitum, omnia quae non naturalia sunt hanc ipsam ob causam absurda esse, hoc aliâ iterum viâ stabilitum videmus a philosophis *Hegelianis* haud paucis. Ex horum saltem scholâ *Criticismus* in Germaniâ exstitit, qui sacram historiam dijudicavit e principiis, philosophicis nimirum, in antecessum conceptis, at nullo modo probatis, fidei autem Christianae plane adversis. Exstitit *Idealismus*, qui ideas religiosas et res in facto positas sibi invicem opponendas duxit, atque Christo historico idealem substituit. Exstitit popularis philosophandi ratio, quae iterum, quod de Socrate TULLIUS, philosophiam a coelo avocare voluit, eamque in urbibus collocare et in domos etiam introducere. Quod autem hoc philosophiae nomine venditabatur, saepius nil erat quam restauratus *Naturalismus*, formâ non fonte ab antiquiore diversus, cui omnia supranaturalia jam erant supradivina, adeoque nullo modo admittenda. Ex his parentibus tandem mutata mundi contemplatio sive recentior *Cosmologia* nata est, Biblicae expositioni de Deo supra-mundano implacabile bellum decla-

Digitized by Google

rans, ipsumque Deum COPERNICI nomine vetans, ne quid miraculum ederet. Quod KEPPLERUS non vidit, nec NEWTONIUS credidit, apud hujus Cosmologiae fautores jam constat, coelum sc. Biblicum et Christianum Astronomiae ope sublatum esse; cum DANTII ALIGHERII systemate mundi ipsum scripturarium corruisse contendunt. Quid caeterum de Deo ejusque relatione ad mundum judicent multi, hoc uno inter sese plane consentiunt, hanc relationem ita proponi debere, ut immediato atque miraculoso Dei interventui nullus omnino denique relinquendus sit locus!

III. Scepticismi recentioris characterem atque originem satis adumbrasse nobis videmur. Si vero de illius *jure* jam quaeritur, lubenter huic quaestioni ita respondeo, ut quae aliquo modo possum concedam. Concedo quam lubentissime, permulta in veritate patefactâ nobis theologis obscura, imo dubia permanere, tot nebulis quippe offusa, ut hîc, si unquam alibi, judicii ἐποχή usu veniat, quam nobis commendant philosophi. Concedo, saepius in magnum ipsius veritatis detrimentum tanquam vera proponi, quae vix verosimilia; tanquam verosimilia quae vix possibilia sunt, adeo ut nonnulli, studio omnia, quae tradita erant, defendendi abrepti, in

Digitized by Google

justam pertinaciae suspicionem inciderent. Concedo, brevi ut dicam, Theologos Dogmaticos subinde nimium pronos fuisse ad exemplum illorum sequendum, de quibus WYTTENBACHIUS queritur: "quod in aedificio fabricando initium faciant a tecto et apice, de fundamentis et parietibus haud cogitantes." [1]) Nec profecto Criticam duco parvi faciendam, quam summo jure RUHNKENIUS "antiquitatis omnis interpretem et judicem, veri obrussam, fraudum indagatricem, corruptelarum expulsatricem" vocavit. DOEDESII sententiae subscribo: "ne omnia explorare pertimescant theologi, ne criticam magni facere desinant." Sed cum eodem addendum putamus: "ad veri nominis criticam, ad Critices recentioris censuram!" [2]) Quae tamen aurea verba a pluribus, autumo, negliguntur, qui sub critices nomine nescio cuidam Criticismo indulgent, tristissimo Scepticismo vicino. Nobis saltem nonnulla temporis recentioris dubia contra patefactionem Biblicam tam parum philosopha sunt, ut contra tristes ingemiscamus: "si tacuisses, philosophus mansisses." Alii ad quaestionem respondeant, quatenus Scepticismus, in universo spectatus, *phi-*

[1]) WYTTENB. in vitâ RUHNKENII. Opusc. I. p. 544.

[2]) *Orat. Inaug. de Criticâ a Theol. rite exercendâ.* Traj. 1859. p. 9.

Digitized by Google

losophiae titulo jure ornetur. Nos lubenter ejus patronis hanc veniam damus, ut Scholasticismum impugnent atque Dogmaticos cogant, systemata sua iterum iterumque secum recolere, melius probare, interiori facultatum humanarum cognitioni superstruere. Iïdem tamen hanc vicissim petimus nobis, ut in omnibus, quae a Theologorum ingenio, ratiocinio, judicio pendeant, prudentem dubitationem omnino admittentes, imo necessariam judicantes, ipsum Scepticismi principium rejiciamus in Ecclesiâ atque Theologiâ nostrâ. Si sincere quod sentio proferam, Scepticismus theologorum mihi videtur *et* hypothesi superstructus, quae nequaquam potest probari, *et* logicâ quadam necessitate ad conclusiones coactus, a maximae temeritatis culpâ vix vindicandas. Si quid video, Scepticismus thesi innititur: aliquid, quod supra naturam creatam ab eaque vere destinctum est, vel non existere, vel saltem a nobis nequaquam posse cognosci. Quomodo autem hanc negationem τοῦ Supra-Naturalis ita defendes, ut mihi persuadeas fidei, huic sublimiori rerum ordini hucusque habitae, omnino esse valedicendum? Hoc certe effici nequit, nisi antea aenigmata solveris, quae, omni Supranaturali rejecto, necessario manent, imo ab omni parte perpe-

Digitized by Google

tuo crescunt. Undenam enim mihi explicabis ipsam hujus Supranaturalis notionem, a mundi origine apud omnes terrae populos magis minusve excultam? Quomodo negabis, omnem religionem, sive veram sive falsam, quae hucusque exstitit, ipsi huic fidei, tanquam immutabili fundamento superstructam fuisse? Omnes, fortasse ais, omnes prorsus religiones ad patefactiones provocant, eorum conditori concessas, luculento nobis indicio, tales opiniones meris nugis esse annumerandas. Sed nonne majore jure opponere possumus, ipsam hanc fidem, tam generalem, indigentiam indicare totius generis nostri, quae aut fortuita est — est autem universalis — aut absoluta, adeoque a Deo, si saltem Deus personalis existat a mundo vere distinctus, suo tempore modoque implenda? Falsae patefactiones verae notionem nequaquam adimunt, at vero confirmant, imo ad hanc veram viam commonstrant. Talem autem veram, summam, aeternam patefactionem a Deo nobis in Christo concessam esse, hucusque semper credidit neque unquam credere desinet Ecclesia Christi, nullaque alia quaestio restat, nisi una, utrum hujus Patefactionis veritas objectiva atque absoluta argumentis satis validis homini veri sanc-

Digitized by Google

tique studioso probari possit. Ad quam quaestionem affirmando respondere, nos nullo modo veremur. Scio quidem, haec argumenta, interna aeque ac externa, saepius tot tantisque vocibus oppugnata esse, ut firmissima arx tandem valde videatur percussa. Idem tamen etiam scio, quam plurimas objectiones nequaquam recentes, oppositionem praeterea et victoriam nequaquam synonyma vocabula esse, atque hucusque, ipsâ experientiâ teste, post innumerabiles aggressus, religionem Christianam semper caput extulisse, gloriosioribus laureïs cinctum. Ponamus, hucusque nunquam satis lucide expositam esse Revelationis q. d. possibilitatem *metaphysicam*, *logicam*, *moralem*: num exinde jam sequitur, ipsam Patefactionem amplius admittendam non esse? Ponamus, formulam sufficientem nondum enunciatam esse, quâ Dei ad mundum relatio accurate describitur Ejusque in mundo agendi modus exponitur: nun exinde concludes, absolutam Personalitatem jure contradictionem in adjecto vocari, miracula autem in sempiternum admitti non posse? Magnopere vereor, ne quis hac viâ procedens, quod Germanis proverbio est, puerum effundat cum balneo, et laudabili studio ductus, ut alios a *mysterio* liberet, ipse ad *absurditatem*

Digitized by Google

perveniat. Inter mysterium autem atque absurditatem optionem nunquam diu difficilem duxi, neque hunc honorem Deo denegandum putarem, quod scilicet Ille, omnipotens, sibi conscius, libere agens, aliquid cogitare, loqui, efficere possit, quod captum et meum et omnium hominum superat, quamvis nunquam objectivae, i. e. aeternae Rationi oppositum. Hujus inconcussae fidei fundamento innixus, calculum iis adjicere nequeo, quibus miracula Biblica *a priori* jam λίθοι προσκόμματος exstant. A scepticis saltem hucusque demonstrationem exspectavimus frustra, — *demonstrationem* veri nominis dico — quâ luce clarius pateat, divinae has majestatis patefactiones cum anilibus fabellis aequiparandas esse; ab Empiristis autem meliorem juris vindicationem, quo ex experientiâ contendere pergunt miracula non fieri *posse*. "Nunc non amplius fieri solent." Num tibi omnes naturae leges jam cognitae sunt; nonne quae terra Miracula nuncupat, eadem fortasse in coelo Natura dicuntur [1])? "Sensuum testimonium nos facile decipere potest." Quo jure igitur ad experientiam perpetuo provocare haud de-

[1]) "*Wunder auf Erden, sind Natur in Himmel*". JEAN PAUL.

Digitized by Google

sinis? "Testes nullâ sub conditione credendi, qui talia inaudita proclamant." Ubinam tandem hoc modo omnis certitudo de rebus antea gestis, omnis fides historica manet? Sed age, jam parvo temporis momento ponamus, omnes has contra miracula objectiones hucusque nunquam satis solutas esse, neque plane solvi potuisse, hoc saltem a Sceptico nostro exspectemus par est, ut nobis Ecclesiae atque Religionis Christianae originem, omni omnino miraculo rejecto, sufficienti modo exponat. Quod hucusque saltem nondum peractum esse, non est quod vel negemus, vel supra modum miremur. Mihi certe persuasissimum est, Ecclesiam Religionemque Christi aeternum esse mansuram aenigma, nisi concedatur, utramque superstructam fuisse fundamento supranaturali et plane miraculoso. Etiamsi nulla alia N. T. scripta admittam, nisi paucissima illa, quae nobis crisis Tubingensis reliquit, hoc ex iïs satis superque apparet, in primaevâ Ecclesiâ signa et prodigia exhibita fuisse, quae a naturali rerum cursu haud parum decederent. Hoc aeque certum, Apostolorum fidem in Jesum redivivum, cui superstructa est Ecclesia Christi, nullâ satis probabili ratione hucusque explicatam esse, nisi miraculo

Digitized by Google

resurrectionis admisso [1]). Hoc vero certissimum, e naturali rerum cursu Christum ἀναμάρτητον plane inexplicatum, imo inexplicabilem esse; ita ut, si tibi plane constare velis, *aut* hanc specificam Christi dignitatem rejicere debeas, Eumque fortasse *Magistrum*, non tamen *Dominum* Biblicâ vi vocis vocare, aut si hoc non audes, ad carceres supranaturalistarum redire. Optime scio, haud deësse honoratissimos viros, qui hoc admittere nolint, Dei scilicet personalitatem Christique specificam dignitatem tueri conantes, etiamsi a miraculo omni abhorreant. Quonam vero jure ita statuant, ex me certe non quaeratis velim, Davus, non Oedipus sum. Si revera Pantheïsmum fugere velis, atque te Theïstam purum praestare, miracula saltem fieri *posse* admittas necesse est. Si contra hoc denegas, vide, quomodo mundi creationem generisque humani originem tibi aliquatenus informare possis. Si vero de *aeternâ* creatione balbutire jam incipis, vide iterum, quam parum adhuc ab abysso remotus sis, in quâ miser non tantum Deum Jesumque tuum, sed et te ipsum animique immortalitatem amittas. Ita, evanescente supranaturali religionis nostrae funda-

[1]) "Avec un Christ, diminué en rare homme, je défie, qu'on "m'explique les Apôtres." C. BOIS.

Digitized by Google

mento, ne ipsa religio mox evanescat, timendum est. Quod enim nonnulli perhibent, Supranaturali omni remoto, tamen ipsam Religionem in aeternum manere, imo majore etiam splendore fulgere [1]), dici vix potest, A. A., quam parum credibile sit. Quid, quod satis mirari non possum, quum talia *ab Experientiae patronis* exspectari jam audio, quae experientiâ ipsâ non paucorum annorum, sed plurium saeculorum continuâ refelluntur. Etenim experientia docuit, omnem Religionem hucusque cum fide, τῷ Supra-

[1]) Ita, e. g. RENAN, *la chaire d'Hebreu*, etc, pag. 29, postquam scripserat: "le surnaturel est devenu comme une tache originelle, dont on a honte; les personnes, même les plus religieuses, n'en veulent plus qu'un minimum, on cherche à faire sa part aussi petite que possible, on le cache dans les recoins du passé. Qu'on s'en rejouisse ou non, le surnaturel disparaît de ce monde; il n'obtient plus de foi sérieuse que dans les classes, qui ne sont pas au courant de leur siècle," jam pergit: "faut il que la religion s'écroule du même coup? Non, non. La Religion est aussi éternelle, que la poésie et l'amour." Idem vero antea, pag. 28, scripserat: "éclosions d'un moment à la surface d'un ocean d'êtres, nous nous sentons *avec l'abime nôtre père* une mystérieuse affinité," atque negavit, se ad illos pertinere, qui diminuere velint "*la somme* de religion, qui *reste encore* en ce monde." Difficile foret negare, hanc religionis diminutionem, quam V. Cl. haud injuriâ agnoscit, arcte cohaerere cum propagatione idearum philosophicarum, quibus omne Supranaturale amovetur, ac Deo personali aliquatenus Abyssus substituitur.

Digitized by Google

naturali habitâ, et exstitisse et corruisse; historia testatur, omnes sectas, qui hoc fundamentum rejicerent — *Theophilanthropinorum* tantummodo liceat excitare familiam — egestate spirituali cito citius succubuisse; religionis Annales commonstrant, miracula hucusque vulgo rejecta fuisse nequaquam a religiosissimis viris, sed contra a parum religionem curantibus. Quonam jure, quaeso, si Experientia nobis summa sapientiae erit magistra, quave boni successûs spe in posterum separare licebit, quae hucusque semper indivulso nexu conjuncta fuerunt? Addenda habeo quam plurima; sed jam satis superque mihi probasse videor, Scepticismum multo majores nobis parere atque relinquere difficultates, quam quae evitare jam studeat. Hic profecto, si unquam, usu venit praeclari Apologetae praeceptum: "si explicari non posse aliquid apparet, nisi hypothesi unâ admissâ, quae non tantum per se possibilis, sed etiam alias ob causas probabilis est, hanc hypothesin admittamus necesse est, nisi oppositum luce clarius expositum sit [1])." Talis hypothesis, sit venia verbo, quae huic conditioni respondet, est

[1]) BORGER, *Leerred.* I, p. 165.

Digitized by Google

nobis Id, quod supra naturam creatam est, quo scilicet admisso, omnia explicantur; quo rejecto, explicari non possunt; quo vindicato, jam fit ut *miraculi possibilitas* tandem *principium* evadat *Philosophiae vere Christianae!*

IV. Excusetis velim, Auditores, si Scepticismo adversans, vobis fortasse modum excedere videor. Christi miles, hunc hostem aggrediens, revera pugnat pro Rege, Lege et Grege. De *fructu* enim Scepticismi ipsius in spe sumus nec magnâ, nec ullâ. Non parvi quidem ducimus meliora nonnulla, quae, moderante divinâ Providentiâ, Scepticismo accepta referenda habemus. Optimo successu subinde castigavit Scholasticismum dogmaticum, ejusque patronos a somno praematuro retinuit. Saepius novum examen veritatis Christianae necessarium reddidit, in magnum disciplinae nostrae emolumentum. Quid quod, uti suo jam tempore egregie vidit PASCALIUS, aeternae illae inter Scepticos atque Dogmaticos lites semper de novo probarunt, quam necessaria extraordinaria divina Patefactio sit, quae imbecillitati nostrae succurrat animumque humanum, caeteroquin variis dubitationis fluctibus quasi jactatum, ad certitudinem tranquillita-

Digitized by Google

temque adducat, quam alibi nusquam inveniet. Haec omnia laete agnoscenti, talia tamen bonae frugis phaenomena non ipsi Scepticismo tribuenda esse mihi apparet, sed saluberrimae reactioni, quam non excitare non potest. Per se enim consideratus, Scepticismus mihi adagium Biblicum confirmare videtur, de arbore cariosâ, e quâ pulchros fructus exspectare non licet. Quod continuo de sceptico ipso contenderim, cujus virtuti hac philosophandi ratione non magis consulitur, quam animi tranquillitati. Animus enim humanus non sine acerbo quodam dolore separari se sentit a pristino adorationis objecto, amissamque fidem deplorat, praesertim si jam a teneris inde Evangelii suavitatem gustaverit. Leonum atque tigridum dentes, uno ictu miserrimam victimam dilacerantes, fortasse minus sunt periculosi, quam venenati serpentum morsus et viperarum, quibus praeda tandem miserrimâ morte succumbit. Scepticismus discidium alit internum, quod non potest non nos infelicissimos reddere, si saltem veritas religiosa nobis quaestio est revera vitalis. Quum vero in discidio ejusmodi interno acquiescere nullo modo per totum vitae spatium possimus, aut aliquando

Digitized by Google

Mysticismi evadamus necesse est, aut *Materialismi* fautores. Ita haud paucos his nostris diebus videmus, qui a rejectâ Scripturae auctoritate initium facientes, in dubitando semper ulterius processerunt, ut mox illa quoque, quae antea strenue defenderant, iïs verba vocesque videantur, praetereaque nihil. Nec mirum, quum Scepticismi ope vitae internae nervi tandem necessario incidi debeant. Ejus enim fautoribus tam diu tantum religiosis manere licebit, quamdiu obliviscuntur, quid de patefactionis, de miraculorum, de cujuscunque rei supra naturam positae absurditate profiteantur. Excordes autem simus oportet, nisi intelligamus, hoc modo veri nominis religionem verbo quidem admitti, reapse autem, sin minus tolli, saltem ita imminui, ut ejus causa semper conclamatior fiat. Quod omnino contra scepticorum sententiam, nequaquam contra ipsos scepticos dictum sit. Extremae arrogantiae foret, ipsos homines judicare, quorum corda perscrutari non possumus, licet eorum opiniones condemnemus; ne addam, perversam theoriam subinde meliore propugnatorum naturâ aliquatenus corrigi, prouti ab alterâ parte optima theoria perversâ praxi subinde contaminatur. Hîc tamen non quaeritur,

Digitized by Google

quid intus sentiant, neque quid aperte profiteantur Scepticismi hodierni patroni; sed quid, si sibi constare velint, profiteri cogantur, neque e sanae Logices principiis defugere possint. Et hoc si quaeritis, jam neminem paulo peritiorem id fugiet, Scepticismi regnum neque *disciplinae Theologicae* magnopere prodesse, neque *ipsi Ecclesiae Christi.* Ad prius quod attinet, germanae scientiae est, non tantum quid *non* sit, sed etiam, quid *sit* indicare. Triumphante autem Scepticismo, ipsum disciplinae theologicae Objectum cadat necesse est. Crisis quidem instituitur de omnibus templi architectis atque materiâ, hucusque adhibitâ; quid vero fit ad aedificandum Sanctuarium ipsum? Si ad hanc quaestionem promittendo respondetur, Theologiam Scepticismi ope saluberrimo modo depurgatum iri, aegrotanti profecto de Medico conqueri licebit, qui sanguinem non tantum detrahit, sed totum exhaurit, imo cor e pectore rapit. Quid, quod hoc etiam nomine Scepticismus Theologiae nocet, quod non possit non serius ocius reactionem excitare dogmaticam, subinde adeo fortem, ut Theologiae vere Evangelicae liberalisque, sanâ vi vocis eclecticae, condendae vix justa remaneat spes. Hoc vero, ais

Digitized by Google

fortasse, posterioris est curae; in praesentiarum autem, addo, jam satis apparet, genuinam Theologiam atque adultum Scepticismum amice conspirare non posse. Neglecta mox disciplina nostra jacebit, si sancta Theologia, olim scientiarum Regina, proprium privumque locum diutius occupare non possit, et uniuscujusque, proprio Marte philosophantis vel dubitantis, pedissequa fiat. *Interpretatio* veteris novique Testamenti mox res mediocris momenti evadit, ubi Sacra Scriptura peculiari charactere destituitur, quem hucusque ei tribuebat Ecclesia. *Philologice* et *critice* explicare omnino potero has etiam, prouti caeteras antiquitatis reliquias; sed quid ulterius de sententiâ scriptorum sollicitus ero, a quorum testimonio fides minime pendet, quosque ipse, ad veram religionem quod attinet, haud uno nomine supero? *Dogmaticam*, nomine dignam, non magis excolere potero; deficiens, jejuna, plane problematica erit, demtâ τοῦ Supra-Naturalis notione; de gravissimis locis dogmaticis nil amplius restat; distinctiones atque disquisitiones, in quibus saecula desudarunt, jam merae nugae videntur, quas jure miremini unquam sapientium hominum ingenia exercere potuisse. *Historia*

Digitized by Google

Biblica et Ecclesiastica eâdem viâ characterem sacrosanctum amittit, atque particula jam evadit historiae universalis, unice secundum hujus leges consideranda. Quid de *practicâ* Theologiâ addam, in quam certe nemo minore assiduitate incumbet, quam qui, de gravissimis rebus dubius haerens, mox aliis, aeque fortasse dubitantibus, se comitem ducemque adjunget. Jam omnes perspiciatis necesse est, *Ecclesiam* non magis Scepticismi fundamento superstrui posse, quam Pyramidum una acûs in acie fundari possit. Nullo modo quidem is ego sum, qui Ecclesiam ad immotam stabilitatem condemnare velim; absoluta enim stabilitas nil foret nisi ipsissima Mors. Si forsitan aliquis quaerit: nullusne ergo in Ecclesiâ Christi ipsius Religionis profectus, cum VINCENTIO LIRINO repono [1]: „habeatur plane et maximus, sed ita tamen ut vere *profectus* sit ille fidei, non *permutatio. Si quidem ad profectum pertinet, ut in semet ipsam unaquaeque res amplificetur, ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur.*" Scepticismus autem non veri nominis profectum, sed potius permutationem Ecclesiae afferre apparet, imo ubi

[1]) *Commonitorium*, Cap. 28.

Digitized by Google

regnare inceperit, ipsius Ecclesiae notio tollitur. Ecclesia enim nequaquam philosophica schola est, de Vero adhuc incognito quaerens, sed credentium congregatio, qui se summam veritatem atque vitam vitalem in Christo jam invenisse, coram toto mundo declarant. Scepticismus contra non potest non ad *Individualismum* conducere, quo sectarum vix numeranda multitudo exsistet, quove tandem unaquaeque conjunctio religiosa, sive Ecclesiastica, sive domestica in dies difficilior exstabit. Ad veritatem patefactam si omnes adstrictos se tenent, omnino de Scripturae interpretatione discidia possunt oriri gravissima, sed tamen super idem fundamentum aedificare non desinunt. Si vero ab hoc fundamento nos avelli patiamur, quisque quodammodo privatim religiosus manere potest, Ecclesia autem hoc modo stare atque aedificari non potest. *Intolerantiae* terminum positum iri, si Dogmatismum, imo dogmata missa faciamus, promittunt Scepticismi fautores, et certe, Intolerantia nunquam non Ecclesiae flagellum atque flagitium fuit. Sed etiamsi illorum ope Intolerantia cesserit — quâ de re nobis jam liceat Scepticorum agere partes, propter nonnullorum intolerantiam — est pejus aliquid, quod Intoleran-

Digitized by Google

tiam excipere possit, *Indifferentismus* nimirum. Quaestionibus theologicis et religiosis, quippe mere subjectivis, e scientiae regno remotis, mox non deërunt multi, quibus tales opiniones tantilli momenti videantur, ut vix operae pretium sit, de illis cum aliis disserere, multo minus contendere. Quomodo, quaeso, hujusmodi Ecclesia mundi spiritui resistere mundumque vincere potest? Undenam in tali Ecclesiâ veritatis praecones, columnae, martyres orientur, quales antea summum ejus decus fuerunt? Quid ipsa quies in tali Ecclesia, nisi aut majore vi instantium procellarum, aut adventantis mortis augurium? Et quid, post haec omnia, vobis mihique magis exoptabile possit videri, quam letalis morbi medela?

V. *Medelam*, de quâ ultimo loco agimus, adhiberi *posse* et omnino *debere*, non est quod fusius exponamus, A. A. Quaeritur tantum, quanam potissimum ratione medicina praeparanda sit atque aegrotanti administranda. Num Scepticismi Scyllam evitare studentes, jam in rigidi Dogmatismi Charybdin incidemus miserrimi? O nos ter quaterque beatos, si aliorum naufragiis tuti cautique reddamur! Num igitur Ecclesiae auctoritate exstir-

Digitized by Google

pabimus illos scepticos homines? Nil veri Protestantismi indoli minus consentaneum foret. Quae scientiae abusu minus vera, imo falsa dicuntur, me quidem judice nullâ aliâ ratione, quam meliori ipsius scientiae usu, corrigi possunt et debent. Libertatem, quam nobismet ipsis petimus, aliis non tantum concedimus, sed si unquam serio oppugnabatur, eam publice defendere nequaquam reformidaremus. Nobis tantum illimitatum jus vindicamus de veritate, in Christo patefactâ, altiore semper voce *testandi*, Deo ipsiusque veritatis efficaciae hoc relinquentibus, ut plenum atque immutabile Euangelium Christi sibi viam aperiat ad corda atque conscientias hominum. Summa morbi indicati medela ipsi Deo tuto committi potest, qui propriâ suâ adorandaque viâ mentes animosque ad veritatem cognoscendam et amplectendam perducere solet; a tempore quoque medicinae pars exspectanda. In genere nunquam obliviscendum erit Theologo, omnino se de veritate posse indefesso ardore testari, imo adversarium eo perducere, ut *ad terminos* redigatur *non loqui*, ipsam vero veritatis persuasionem vivam, inconcussam, frugiferam, donum esse gratuitum ipsius Spiritûs

Digitized by Google

sancti. Hic Spiritus autem quum mediate agere soleat, hominibusque divinae efficacitatis instrumentis uti dignetur, hoc Ecclesiae ministris imprimis curae debet esse cordique, ut plenum Euangelium annunciantes, e fide in fidem loquantur, suumque κήρυγμα ita exemplo vivendique ratione comprobent, ut nemini amplius liceat veritatem verbi in dubium vocare, quod tales informet praecones. Ad ipsam *theologiam* autem quod attinet, nequaquam redeundum erit ad systema seculi decimi septimi, omnibus numeris restauratum, sed novum in eodem aeternoque fundamento condendum, quod verbo Divino, Ecclesiae principiis, aevi sin minus desideriïs, saltem commodis magis magisque conveniat. Ab eorum socordià quam longissime remotis, qui, prouti dici solet, nil obliti sunt antiquorum, nil recentiorum edocti, nobis illud praeclari poëtae transatlantici: *Excelsior* perpetuo obversetur oportet, excelsior autem, non ad rigidas niveasque regiones, ubi tandem miseri pereamus necesse est, sed ad templum veritatis Christianae, in monte illo exstructum, ubi novum mundum ipsi adspicere, aliisque, nos insequentibus, laete commonstrare poterimus. Verbo, ita excolatur Theo-

Digitized by Google

logia nostra, ut ipsa aeterna veritas, in Christo patefacta, clariore in dies luce splendere incipiat. Quod ut fiat, quam commendamus Theologiam, ea *Evangelico-Biblica* sit, *historico-philosopha*, *irenico-practica* tandem. *Biblica* nimirum, non eo sensu ut ad nudam litteram Sacrae Scripturae promiscue Theologus ablegetur, tanquam ad nescio quod Corpus Juris Divini, ut tandem mechanice per verba sanctissima juret, nullo discrimine temporum locorumque admisso; sed hoc modo, ut e sacro Codice, rite explicato atque strenue defenso, cognitionem veritatis patefactae uberrimam hauriat, ad Euangelium autem, tanquam Scripturae cor atque meditullium, imprimis attendat, et non tantum Scripturae ope ad Christum, sed potius per Christum ad intelligentiam Scripturae ducatur. E Christo, tanquam centro patefactionis, quantum fieri potest, deducat omnia, ad Eumque quae invenit reducat, neque adeo de multis *veritatibus*, q. d. patefactis loqui pergat, sed ipsam *Veritatem*, unam, indivulsam, vitalem, in Christo ipse adspiciat aliïsque laete annunciet. Quod ut facere possit, Theologia, quâ imbuitur, *historico-philosopha* sit. *Historicâ* viâ procedens, patefactionem divinam

Digitized by Google

gradatim procedentem observet, praeclari illius moniti memor: *distingue tempora, et concordabit Scriptura.* Ecclesiae auctoritatem non quidem supra Protestantismi modum veneretur, nec magis tamen contemnat, communionem fidei cum proävorum familiâ religiose observet, neque tamen unquam Dei Verbum cum hominum, ne praestantissimorum quidem, fidei Formulis aequiparari concedat. Hoc autem prae caeteris curet, ut veritas revelata in interioris hominis sanctuario clariore identidem resonet voce. Quem in finem profundiori facultatum humanarum analysi Theologia superstruatur necesse est, ut ita magis magisque appareat, testimonium Scripturae atque testimonium animi admirabili prorsus ratione sibi invicem quasi respondere. Logica non tantum, sed psychologica haec methodus erit, atque *philosopha* jure dicenda, non quia unius alteriusve philosophi, optimi licet, auctoritati se mancipavit, sed quia aeternis germanae philosophiae legibus se lubenter adstrinxit, suosque cultores eo perducere studet, ut quae fide jam amplexi sunt in dies melius intelligere possint, cum ANSELMO hoc profitentes: „*qui non crediderit, non experietur, et qui expertus*

Digitized by Google

non fuerit, nunquam intelliget." Aut equidem egregie fallor, aut talis Theologia tandem quoque *irenico-practica* erit. Eo enim tendit, ut ea, quae, e S. C. sapientes, practicâ atque psychologicâ viâ intus jam probe cognoverimus, semper penitius indagemus; quod autem ita invenerimus, iterum in praxin convertamus, et nobis et aliis saluberrimam. *Πρᾶξις* enim *ἐπίβασις θεωρίας*, quod NAZIANZENI effatum quo melius intelligatur, eo certius Theologiam poterimus condere, quae Ecclesiae ruinas reparet, imo scepticorum etiam oculos alliciat, eosque de veritate, a nobis defensâ, certiores tandem reddere possit. Quid, quod ita procedentes, *irenicorum* quoque Theologorum titulum laudemque merebimur, quippe bellum nullam aliam ob causam parantes, quam quia pacem Ecclesiae volumus, honorificam autem illam atque omnino nomine dignam. Pax enim Ecclesiae, quod omnes teneamus oportet, nunquam restitui potest, ipsâ veritate neglectâ, sive in mera opinionum commenta conversâ. Veritas autem, ubi triumphat, non potest non litigantium animos et Christo et sibi invicem conciliare; imo, quod jam videmus, e variis Christi familiis continuo illi inter sese con-

Digitized by Google

jungi incipiunt, qui super eodem aeterno fundamento et ipsi aedificati sunt et alios aedificare volunt, communem profligantes inimicum, incredulitatis spiritum dico. O utinam vobis mihique adumbrare possem imaginem talis Theologi, qualem nequeo adhuc, eheu, vobis monstrare, at intus sentio tamen! Incepit ille, anteaquam doctoris munus obiret, disciputi locum tenendo, ad Christi pedes sedentis, ut ab Illo ea verba aeternae vitae audiret, a quibus destitutus ipse non amplius vivere potest. Mox vero, fidei foedere cum optimo Sospitatore inito, atque incredibili accensus ardore ut, quae fide jam tenet, etiam quoad fieri possit intelligat aliïsque ante oculos ponat, nullum prorsus adminiculum negligit, quo veritatis doctor evadat, idem vero aeternae Sapientiae modestus discipulus maneat. Si e variis Doctorum medii aevi titulis ei optio concederetur, non Doctor *Sublimis*, aut *Angelicus*, aut *Seraphicus* vocari cuperet, sed *Biblicus*, sanâ vi vocis. Sanctissima Archiva regni coelorum, in S. C. consignata, nocturnâ versat manu, versatque diurnâ. Ubi autem penitius penetrare non potest, τὸ Αὐτὸς ἔφα optimi Magistri veneratur, imo τῷ γέγραπται divino obstrictum se non sentire non potest. Ad Dei cognitio-

nem, si non adaequatam, attamen veram adscendere cupiens, ab omni Intellectualismo abhorret, quo nimis facile veritatis informatio atque notio subjectiva cum ipsâ veritate miscetur. Pectus potissimum est, quod Theologum illum effecit, pectus inquam, ardentissimo amore Christi fratrumque impletum, cui LUTHERI praeceptum infixum est: "non esse "Theologum, qui magna sciat et multa doceat, "sed qui sancte et theologice vivat." Fidei firmiter tenax, veram illam liberalitatem sectatur, quae nullibi nisi in Christi scholâ discetur, et quamvis de sanctissimâ re, quam profitetur, sibi persuasissimum habens, non facile tamen obliviscetur, se ex parte tantum cognosse. Amicis se non mancipio dabit, adversarios nequaquam contemnet, sed in iis etiam, quos conscientiae causâ oppugnat, sublimiorem quemque nisum laete observabit, altâ mente illud PAULI repostum tenens: *δοῦλον δὲ Κυρίου οὐ δεῖ μάχεσθαι, ἀλλ' ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας*. Criticus est, non vero Scepticus, credit, nec tamen credulus erit. Per fidem ad scientiam, per scientiam ad fidem, identidem profundiorem procedit. Quid plura? Ita germanus Theologus, qui idem dubitantis aevi Medicus esse desiderat, ipsius divini *Λόγου* imaginem aliquatenus

Digitized by Google

refert, atque Christi Apostolorumque vestigia premens, revera alios docet, quae ipse intimâ cum Patre communione accepit. O utinam tales his temporibus nostris exstarent Theologi, numero illi semper majore! Quis dubitat, quin hac viâ letalis Scepticismus tandem foret devictus, imo quis non videt, hac viâ de totâ Ecclesiâ Christianâ mox valiturum esse propheticum symbolum urbis, ubi CALVINUS vixit et mortuus est: *post tenebras lux!*

Post tenebras lux. An is ego sim futurus, a quo in mediïs horum temporum tenebris aliquantulum saltem lucis Theologiae Ecclesiaeque sperandum? Ita saltem de tenuitate meâ vos judicastis, Viri Nobilissimi, Amplissimi, quorum suffragiis hunc honorificentissimum locum ex augustissimi Regis decreto mihi demandatum jam video. Quod omnino mihi non tantum honori, sed gaudio duco, quippe qui non longe ab antiqui cujusdam Theologi sententiâ absim, statuentis extra Ecclesiam nullam salutem, sed extra Academiam nullam vitam Theologo esse vere vitalem [1]). Haec persuasio fuit, quae

[1]) JOHAN GERHARD, Theol. Jenensis.

Digitized by Google

mihi animum addidit, ut post vitam jucundissimam, simul vero laboriorissimam Ecclesiasticam, jam gravissimum munus susciperem, quod forte tutius fuisset modeste recusare. Sed hoc cum serio meditabar, religioni tamen ducebam, Praeceptori, eidemque Amico deësse, cui, uti saepius mihi significavit, diu in votis fuit, ut suo exitu vacantem aliquando locum occuparem ego; religioni itidem, vestrae voci non obtemperare, Nobilissimi Viri, qui me ad VINKII cathedram vocare haud dedignati estis. VINKII dico, et hoc nomen gratissimo sensu pronuncianti sponte jam mihi obversatur imago eximii viri, ad rogum usque mihi pio amore colendi. Ille enim me primum inter omnes suos discipulos Theologiae Doctorem creavit, postquam per triennium ejus praeclarâ institutione suavissimâque familiaritate uti licuerat; ille me ad munus sacrum in pago amoenissimo publice introduxit; ille nunquam non se mihi integerrimum amicum probavit. Non meum est Clarissimum Defunctum debitis, id est summis extollere laudibus. Ipsi virum cognovistis, cujus mentis acumen, doctrinae copiam, morum integritatem, indolis humanitatem omnes ejus collegae, discipuli, amici tam diu ex-



Digitized by Google

perti sunt, quemque summo jure Academia atque Ecclesia luget. Quonam animo sim perpendatis, quum jam non VINKII laudes efferre, sed quod majus est, VINKII vitae pensum persequi disparibus viribus debeam? Ad vestram humanitatem refugio, Curatores Amplissimi, et nomine Amici defuncti, nunquam apud nos morituri, indulgentiam supplex imploro. Accipite grati animi testificationem sincerissimam, simul vero sanctissima vota, quibus gravissimum auspicor munus! Pergite, quaeso, me benevolentiâ vestrâ condecorare, vestroque favore mihi animum addere, ut qui jam munere Academico ornor, ipse postea huic muneri aliquatenus saltem ornamento fieri possim. Hoc saltem vobis recipio spondeoque, me quod doctrinae atque ingenio deëst, indefesso labore et animi contentione ita esse compensaturum, ut vos nunquam vestri de me judicii ac mihi mandatae provinciae jure poeniteat. Utinam e conatibus meis aliquid bonae frugis redundet in Ecclesiam, atque in Academiam nostram, cui filium praestare me cupio, almâ Matre non prorsus indignum! Vobis autem, viri Illustrissimi, hoc largiatur Pater coelestis, ut ipsi salvi incolumesque vitam vivatis Divino fa-

Digitized by Google

vore beatam, in Vestrorum, in Academiae, in universae Patriae nostrae salutem!

Ad Vos me convertenti, Viri Clarissimi, omnium artium doctrinarumque Professores, vox incerta in faucibus haeret. Nil facilius, quam trita illa vobis repetere, quae tali occasione jam saepius potuistis audire, nil autem difficilius, quam animi exprimere sensum, quo tantos talesque viros jam Collegas aestumatissimos nuncupem. Mediocritatis meae probe mihi conscius, non nisi verecunde vestro ordini meum nomen adscribi video, atque optime sentio, paucula tantum esse, quae vobis offerenda, quam plurima contra, quae a vobis implorand habeam. Simul vero ad pristini temporis recordationem laetissime redeo, mihique nomina SCHRÖDERI, VISSCHERI, GROENEWOUDII, GOUDOEVERI, HEUSDII repeto, quos hic nactus fui praeceptores egregios. E numero professorum, qui tempore meo Academico floruerunt, unum tantum mihi salutare nunc contingit. Vos vero, viri clarissimi, si decessoribus, quod nequaquam dubito, non tantum doctrinâ, sed humanitate etiam estis consimiles, non plane despero de nexu nostro futuro. Hoc a vobis petere liceat, ut me humanitate suble-

Digitized by Google

vetis, exemplo inflammetis, familiaritate, fiduciâ, si fieri potest etiam amicitiâ honoretis exoptatissimâ. Quod a Te non amplius rogandum habeo, nobilissime DE GEER, qui per tot annos jam amicum integerrimum Te mihi comprobasti. Tibi, scio enim, ipse hic dies, quo inter collegas amicum juventutis jam recipis, dies laetitiae bonique augurii est. Utinam, quae tam diu nos vincula junxerunt, nunquam disrumpantur, imo firmiora etiam evadant! Neque minus Tibi me commendatum velim, Clarissime MILLIES, cujus debitorem statim se sentit, qui facultati Theologicae Trajectinae adscribitur. Qui studia Veteris Testamenti tuo, id est eximio modo regere haud recusasti, hoc pensum haud desinas persequi, favente Deo O. M., applaudentibus omnibus bonis! Tibi, imo vobis omnibus, celeberrimi Viri, Deus corporis valetudinem animique alacritatem conservet, ut et inclytae huic scholae et universo orbi litterato quam diutissime decori esse pergatis atque emolumento!

Sed majore jam afficior gaudio, ad Vos verba vultumque convertens, clarissimi Theologiae Professores, quibus accedens saltem nequaquam in terrâ incognitâ versor. Huic gaudio certe justa tristitia

Digitized by Google

subest, quum VINKII ac ROYAARDSII, humanissimi viri, recordor, qui certe, si adhuc inter vivos degerent, non recusavissent hac horâ paternam dicamne an fraternam mihi laeti porrigere manum. Sed Te superstitem video, clarissime BOUMAN, nec superstitem tantum, sed in ipsâ corporis caducitate ita valentem, vigentem, militantem, ut juniori commilitoni, eidemque gratissimo discipulo, jam miles antiquitatis Romanae appareas, qui clypeum non nisi cum vitâ ipsâ deponit, imo alter VESPASIANUS, qui ultimâ vitae periodo Imperatorem stantem mori oportere ajebat. Quod ne in malum omen sit dictum, omnes precantur, qui te Theologorum Trajectinorum Nestorem atque Antesignanum summo jure maximi faciunt, nemo autem me ardentius potest precari, qui ipso recentissimo tempore te patronum nactus sum, tam potentem atque tam generosum, ut nulli clienti, injuriâ accusato, melior unquam esset optandus [1]). Tu igitur, Vir clarissime, quantum vitae viriumque tibi superest — supersit autem quam plurimum — Tu Mentor mihi atque Monitor maneas, inopiae

[1]) Cf. H. BOUMAN, *de Godgeleerdheid en hare beoefenaars in Nederland*, etc. Traj. 1862, p. 24—29.

Digitized by Google

meae tuae doctrinae copiâ benevole succurrens, mihique condonans, si mox aliae dotes tibi aeque mediocres appareant, quam latinitas mea, quae tibi, oratori uni in paucis classico, non displicere non potuit. — A Te, Clarissime TER HAAR, hanc indulgentiam non rogo tantum, sed firmâ fide exspecto: nam te adspicienti facile mihi succurrunt, quae de optimo fratre SENECA scripsit: "coepisti mirari comitatem atque incompositam suavitatem; nemo mortalium uni tam dulcis est, quam hic omnibus [1])." Te poëtam, oratorem sacrum, theologum historicum perdiu jam in oculis tuleram; fore autem ut te collegam tandem salutare liceret, hoc mihi certe non praesagiverant astra, quum, ante hos septemdecim annos, memini enim, de astrorum agmine coram coetu verba facturus, te non sine justâ quadam anxietate inter auditores viderem; mox vero reficerer, ex te audiendo, juveniliter dicta tibi haud prorsus displicuisse. Felici, sub quo natus videor astro, sive ut melius dicam, divinae Providentiae hoc beneficium laetissimus tribuo, quod te seniore collegâ frui jam liceat, utinam et amici fiamus! — Amici nos fuimus a

[1]) SENECA, *in Praef. ad Nat. Quaest.* L. IV.

Digitized by Google

tenerâ juventute Academicâ inde, clarissime DOEDES, amici esse haud desivimus post tot annorum decursum. Meministine mecum dierum, quibus ardentissimam doctrinae Theologicae sitim conjunctim explere conabamur, meministine juvenilium somniorum de vitâ theologicâ, litterariâ, vere vitali, ambobus prae omni aliâ tunc arridente? Quam multa postea accesserunt jucunda, molesta; exspectata, insperata; laetissima, tristia! Per quinque vero et quod excurrit lustra tuum vitae cursum cum meo perpetuo contextum jam video. Quod Deus ita conjunxit, hominum nemo separet, vir Amicissime! Sincerissimas accipe gratias pro omnibus, quae in me contulisti, fraternae amicitiae documentis, et antea, et imprimis postquam me huc vocatum videram. Tu animum meum erexisti, auxilium petenti haud defuisti, adventumque meum tibi gratum acceptumque fore multis modis jam comprobasti. Mira in nostro coelo constellatio, mihique certe gratissima! Mihi contigit te antea Roterodami recipere, ubi tibi antecesseram per triennium fere; nunc vero tu, ante triennium huc vocatus, Trajecti tuâ vice me recipis, nec recipis tantum, sed mecum etiam gaudes, ubi communis

Digitized by Google

nostrae vitae circulum jam ad punctum unde exiït quasi redire videmus. Eheu, quare te conspicere hîc debeo, acerbissimo vulnere ictum? Sed infandum jure haesito renovare dolorem; hoc mihi Deus concedat, ut amicitiae manus tibi aliquid saltem solaminis offerat! Quid plura? Quam plurima jam communia habemus, utrique aeque carissima; quod vero alteri nostrûm privum propriumque Deus concessit, valeat ad alterum acuendum, sustentandum, ut ita dicam supplendum. Si juvenilibus nostris somniïs virilis aetas, Trajecti ad finem perducta, non longe dissimilis fit, optandum nil amplius habeo. Jungamus dextras fidemque, jungamus eas uterque et tecum, Clarissime TER HAAR, ut ita Triumviratum constituamus, de quo illud Ecclesiasticum valeat: triplicatum funem non facile solvi [1]); triumviratum cogito, cui communis in BOUMANNUM nostrum pietas, imprimis vero communis Christi Ecclesiae, Theologiae, Academiae amor, quasi sepimentum sit atque indivulsum ligamen!

Nec vos insalutatos dimittere possum, Amici, quos vel Roterodami, vel hîc, vel alibi etiam jam

[1]) Eccles. IV : 12.

Digitized by Google

diu cognovi, aut collegas, aut fautores, aut cognatos fratresque κατὰ πνεῦμα integerrimos, quique, quali erga me animo sitis, hac ipsâ horâ praesentiâ vestrâ monstratis. Quare inter vos KEMINKIUM, eheu, desidero, maturâ morte reipublicae litterarum, amicis, mihi quoque ereptum? Quis desiderio sit pudor aut modus tam cari capitis? Multis ille bonis flebilis occidit, nulli autem flebilior, quam tibi, DOEDESI! Quo magis mihi gratulor, tot alios superstites, imo hîc praesentes videns, quorum amicitiae documenta, et antea et recentissimo tempore in me praestita, imis meis infixa manent medullis. Pergite, Viri conjunctissimi, amicum amore vestro, imprimis vero votis atque precibus persequi, ipsique junioribus, quod jam estis, maneatis exempla, quibus appareat, germanos Theologos atque homines Christianos nequaquam scepticos esse!

Et ita tandem ad vos compellandos accedo, lectissimi Juvenes, quos jam salutare liceat ejusdem almae matris mecum gratissimos filios! Nullus inter vos cui non, si forte possim, sincere prodesse cupiam; me recipitote igitur, quaeso, tanquam virum, propriae juventutis nequaquam oblitum, vestramque ita amantem, ut de vobis, patriae atque

Digitized by Google

Ecclesiae spe, jam optima quaeque exspectet. Quod vobis prae caeteris dictum sit, futuri Theologi, quos jam nanciscor auditores, discipulos, spero et amicos ac commilitones! Omnino *commilitones*, nam militandum erit et vobis et mihi, quum difficillimo tempore sanctam in Theologiam junctis viribus incumbamus. Quonam animo quoque Duce equidem hanc palaestram ingrediar, oratione meâ et vos audivistis. Hoc unum addere liceat, mihi prae omnibus Evangelii placitis summum illud praeceptum de mutuo amore placere, qui utinam olim aliquando theologicum excipiat odium, imo illud BUCERI aliorumque mihi vitae symbolum esse: *neminem condemno, in quo aliquid Christi reperio.* Talem igitur me habeatis velim, qui, quod ipse profecit diuturnâ experientiâ sanctissimi muneris, id totum in vestrum emolumentum convertere, neque scholis tantum, sed familiari etiam commercio vobis prodesse aliosque docendo ipse quotidie discere cupiat. Quidquid vero de me judicetis et exspectetis — et fuerunt inter vos, qui scriptis aut ore honorificam de me sententiam mihi significarent, quibus gratias ago quam maximas — hoc omnes teneatis, Amici, me nil prorsus de me ipso, omnia vero ab hoc Patre ex-

Digitized by Google

spectare in Christo, qui me nunquam, imo nunquam solum reliquit, Cuique unice acceptum id refero, quod, post varios casus et tot discrimina rerum, profiteri cum Apostolo possim: ἄχρι τῆς ἡμέρας ταύτης ἕστηκα! Si autem Deus nobiscum, quis contra nos erit? Illius igitur auxilio potentissimo fretus, in nomine Jesu Christi, Ecclesiae Domini, designatum munus suscipio. Illi communia nostra studia, Illi Academiae, Ecclesiae, patriae salutem confidimus, dum pie precamur: Sol justitiae, illustra nos! Ita omnia studia nostra Illius promoveant gloriam; ita augeatur in dies, et floreat in aeternum Musarum haec pulcerrima sedes!

Dixi.

Digitized by Google

ERRATA.

Pag.	9,	lineâ	11,	pro:	sivi,	lege:	sive.
„	15,	„	20,	„	exoritura,	„	exortura.
„	16,	„	17,	„	quum,	„	quam.
„	21,	„	5,	„	imputandum	„	imputandam.
„	21,	„	11,	„	pareat,	„	pariat.
„	23,	„	8,	„	earum,	„	eorum.
„	28,	„	18,	„	existere,	„	exstare.
„	29,	„	8,	„	eorum,	„	earum.

Digitized by Google

Digitized by Google